



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

Art. 1. An solo titulo deputationis ad missionem possit aliquis ordinari ab Episcopo Vicario missionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## TRACTATVS XII.

*De Sacramento Ordinis.*

## ARTICULUS I.

*Vtrum solo titulo deputationis ad Missionem possit aliquis ordinari ab Episcopo Vicario Missionis?*

**C**ausa iste mihi fuit propositus de aliquo studioso S. Theologiae in quadam Universitate, qui zelo lucrandarum animarum petiit admitti ad Missionem à Vicario Apostolico, qui erat Episcopus, qui admissus fuit eâ conditio ne, ut statim ac ab ipso vocatus esset, se sistere. Interea occurrit tempus ordinationis, & inquisitum fuit, an sufficienter eidem Vicario subjectus esset ut ab ipso ordinari posset, solo titulo talis admissionis antequam esset formaliter Missionarius, sed adhuc existens in suis studiis.

Pro solutione hujus difficultatis, præsupponitur triplici titulo aliquem fieri subditum alicujus Episcopi ut ab ipso Sacramentum Ordinis accipiat. Rationes originis, domicilii, &

bene-

## DE SACRAM. ORDINIS. 413

beneficii: uti habetur c. nullus de temp. Ord.  
in 6.

Supponimus autem præfatum studiosum,  
(de quo agitur in casu) non esse subditum Vi-  
cario Apostolico missionis ratione originis, nec  
etiam ratione domicilii. Ergo sola difficul-  
tas est de titulo beneficij, utrum deputatio  
sola ad missionem habeat rationem tituli be-  
neficij, ita ut ordinari potuerit quasi titulo be-  
neficij, ab Episcopo Vicario missionis in par-  
tibus confæderatis.

Resp. affirmativè. Quia talis titulus depu-  
tationis ad missionem habet rationem colla-  
tionis beneficij, non tantùm simplicis, sed  
etiam pastoralis: cùm Missionarii verè missi,  
habeant facultates Pastorales.

Confirmatur nostra resolutio à paritate:  
Is qui adscribitur militiæ, ipso facto desinit esse  
subjectus Episcopo diœcesano, & subditur Vi-  
cario generali militiæ, ita ut in ordine ad ma-  
trimonium ab ipso debeat habere dispensatio-  
nem in proclamationibus & bannis, & coram  
ipso, vel alio sibi subjecto Parocho contrahere.  
Ergo videtur similiter loquendum de ascripto  
seu assumpto ad missionem, quod ordines suos  
accipere debeat ab Episcopo, qui ipsum depu-  
tavit ad missionē. Ita salvo meliori, quia casum  
illum non inveni usquam in eisdem circum-  
stantiis propositum.